



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XLV. Non esse boni Imperatoris pugnandi neceßitatem imponere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

properat, ad alterius voluntatem tempus & locum acceptare cogitur, quod est periculosum, accipere ab hoste conditiones pugnandi.

Carolus Quintus cum Germanis pugnare noluit, quod non dubitaret exercitum eorum, breui dissipatum iri, nam in fœdere videbat civitates, quæ nervum suppeditabant, contemni, & merito queri, quare putabat à fœdere discessuras, quod fecerunt.

§. 5. Necessitas pugnandi virget, si loco cedendum est, propinquo hoste. Qui enim sublaris impedimentis proficisci cogitur, si hostis sequatur, vix sine pugna euadit, hostis enim sequitur, & loca sibi opportuna occupando ad iniquam pugnam coget.

Pugnandum est cum commeatibus, aut stipendia defutura videntur. Multo magis si agrum hostis vaſtet. Alias hand est indecorum cum saluti necessarium est, mœnia tueri, nec in aciem procedere; Cum Spartam Thebani obsiderent, omnes exire ad pugnam auerent, moratus est Ageſilaus, quod diceret: Athenienses etiam quandoq; à Lacedæmonis in urbem fuisse conclusos.

§. 6. Nec reprehendero, si ad tempus cedat, si enim fuga stratagematica, laudabilis est, quæ mox convertitur in hostem securum, cur non & illa, quæ ad hebdomadas, aut menses durat? Metellus cum alacrem vidisset hostem, exercitum reduxit. Ageſilaus quoq; cum eum videret ordinem & vires Atheniensium, ut vincere non posset, recessit. Polyæn. l. 2. Nec timendus contemptus, sed amandus. Quicumque enim hostem contemnit, ad pugnam imparatus est. Pugnandi aviditas in milite laenda est, providentia victoriæ duci convenit.

Nec facile bellum in exercitatus sumendum est. Cræsum bella contra Insulanos molientem Bias dehortabatur, q̄ diceret, Insulanos magnum numerum eorum contra eum parare. Cræsus irridens, vinam, inquit, eos in continente capiam: Tum Bias. Et illi optant Cræsum in mari capere. Tamen difficile Cræso prælium maritimum, quàm Insularibus terrestre.

§. 8. Non est pugnandum, si merus est amittendi regni; Dux Albanus cum Guisio in regno Neapolitano pugnare noluit; nam Galli victi duntaxat exercitum, Hispani regnum perdidissent.

§. 8. Interdum tamen prælium suaserim, si hostis titonum habet exercitum, qui visu sit melior, tu veteranum, si hostis timeret.

Timor viri-
lis, modo ne
animum
ad fraudem
converterat.

Qui infirmior est, terreat, qui fortior, securum reddat. Pars victoriæ est hostem terri. Qui metuit, dimidiis viuit. Suspicio periculi tam prodest victoriæ, quàm ipsum periculum.

Leo rotarum strepitu, galli cantu, igne terretur, fugit hostis si larvam timoris objeceris.

Qui veteranum & victorem exercitum habet, ut Hannibal, ut Cæsar, facile ad prælium p̄gredi potest, sed ne hosti sollicitudinem ingerat Imperatoris est timere videri velle, Thraſonis timeri. Itaq; par nunquam cum pare nisi commodo suo pugnabit.

CAPVT XLIV.

*Hostem domi non expectandum, sed
in suo inſeſtandum eſſe.*

Sine regni
periculo
pugnatur.

§. 1. Si omnino bellum decretum sit, viresq; pates, Saut majores putentur, non est consultum exercitum in pacato detinere, sed protinus ducendus est in hostem, multa enim commoda eorum sunt, qui foris pugnant.

Nam animus magnus, & fiducia virium in eo formidabilis est, qui vitro laeſſit.

Deinde ad existimationem auctoritatemque, quæ bellantibus necessaria est, plurimum valet, tantum polle, ut non modo tua defendere, sed aliena etiam vindicare possis.

Terrio pericula propria in hostem sic transferre potes. Nam si domi bellum geratur, intra viscera hostis accipitur, omnia aguntur, feruntur, vruntur, miles amicus & hostilis ex æquo grauis est; hinc animi dejecti, querelæ, seditiones, tumultus, quæ omnia traducto milite in hostem transferuntur.

Pericula in
hoste ſūt.

Hinc videamus Romanum populum domi laborantem, nec Hispanias neglexisse, & in Africam belli terrorem tranſtulisse, atque hoc demum modo Annibalem ex Italia auocasse potius, quàm pepulisse. Neque dubium est, si Hispanias omiſſissent Romani, quin Italiam suam defendere non potuerint, Carthaginenses enim quietam Hispaniarum possessionem adepti, ejus nationis viribus, opibusque facile Romanos vincere poterant.

§. 2. Exercitu veterano timenti, non est pugna permittenda. Quia certa causâ se videt infirmiores. Timidus ne sit, alacer, ipsi dicent, etiam inuiti. Pallor & tremor timentem producit. Assensu probabant, si manus extollerent, si clamorem ederent, scuta genibus illiderent, Luc. l. 1.

*Hic cunctæ simul assensore cohortes,
Et atq; alæ, quæcunq; ad bella vocaret
Promissere manus. it tantus ad æthera clamor.*

Discrimina vocum indicat Ammian. Nemo post hac finit a reuicuit: sed militares omnes horrendo fragore scuta genibus illidentes (quod est prosperitatis indicium plenum: nam contra quum hastæ chely feruntur, ira documentum est & doloris) immane quo quantoq; gaudio præter paucos Augusti probauere indicium.

CAPVT XLV.

*Non esse boni Imperatoris pugnandi
necessitatem imponere.*

§. 1. **I**NTER cetera perdenda Reipublicæ documenta, etiam necessitatem pugnandi adferendam putat Machiauellus lib. 3. c. 12. Verba ejus sunt. Oſendimus alio loco quam vtilis sit Necessitas ad humanas actiones expediendas: simulq; monſtrauimus, necessitate coactos homines sapè res geſſiſſe, quibus ad gloriam singularem sint euecti. Morales quoq; Philosophi prodidiſſe, linguam & manus, quamuis per se nobiliſſima ſint instrumenta: nunquam tamen res humanas ad eam, in qua nunc ſunt, perfectionem dignitatemq; promouere ac producere potuiſſe: ni necessitas quadam ipſas coegisset. Quæ res antiquis Imperatoribus, cum ignota non eſſet, q̄q; facile intelligerent, animos militum necessitate coactos, ad dimicandum, fortes & obſtinatos fieri: in id maxime incumbabant, ut ſua necessitatem pugna, captata quauis occasione, imponerent: hostibus verò eandem de industria adimerent. In quem vtiq; finem, per ſepe tranſiitum hostibus per ea itinera aperuerunt, quæ custodiri facile potuiſſent: & ſuis iter clauſerunt, quod facile potuiſſent aperire. Quicumq; ergo cupit, ſive ciues vrbs alicuius fortes, audaces, & obſtinatos ad ſui deſenſionem efficere: ſive alium exercitum fortem & pertinacem ad pugnandum in pralio reddere: is ſummo ſtudio in id incumbere debet, ut necessitatem huius rei ipſi imponat, aut certe, ut eorum animi perſuaſi ſint, talem ſibi necessitatem incumbere.

Mala & periculosa doctrina: ſummi periculi ad- Periculi ne-
eundi ſibi necessitatem imponere non eſt prudentis, ceſſitas non
neque boni viri. Qui verò id fecerunt vel temerarij ſuſcipien-
fuerunt, vel ante necessitate premebantur; nec in da.
nouam ipſi ſe necessitatem coniecerunt, ſed eam
in

in quam coniecerant, ostenderunt. Quis enim ad eod vacors est, ut eo se demittat, ut ex hostium voluntate, & arbitrio rem gerere cogatur, at qui ad pugnam cogitur, is jam est in hostium potestate. Quis probabit Juliani temeritatem stolido consilio sibi, & toti imperio noxio, naues exurentis, ut miles captivus fortius pugnaret? Statimque, ait Ammianus libr. 23. transgressus, pontem auelli praecepit, ne qua militum ab agminibus propriis, revertendi fiducia remaneret. Et deinde. Flumine laeva relicto, insausis ductoribus praeiis mediterraneas vias arripere cito proposuit gradu, & tanquam funesta face Bellona subiectis ignibus exuri cunctas iusserat naues praeter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus disposuit vehi carpentis: idq. putabat utiliter ordinasse, ne relicta classis vsus hostibus foret, aut certe, ut ab expeditionis primordio factum est, armorum fere, viginti milia intrahendis occuparentur isdem navibus & regendis: Deincum metuens sibi quisq. mussaret, monstraretq. perspicua veritas, quod repulsus forsitan ariditate vel altitudine montium ad aquas redire non poterit miles, tortiq. persugae aperte faterentur se sefellisse, concursu maximo extingui iussa sunt flammae. Et quoniam ignis auctus immaniter plerq. consumpsit, duodecim tantummodo potuerunt intacta seruari, quae ut possint custodiri, discretae sunt.

Hæciple exercitus, & Julianus culparunt, mæstitia enim pro fortitudine incescit omnes.

In hoc ergo periculum nemo prudens se coniecit, hoc potius agendum est cuique, ut suo commodo dimicare possit.

Quanto prudentius Hannibal cum Marcellum timeret, non coniecit se in necessitatem absolutam, ut victor nihil nisi mors superesset, sed aciem ita disposuit, ut in loca munita posset habere receptum.

Addo & illud: victum te esse, si hostis callidus in pugnandi necessitate te constitutum putet, si enim non nisi suo commodo pugnare velit, sine dubio vicit.

CAPUT XLVI.

Stratagemata obsidentium.

§. 1. **A**D occupandas vrbes celeritas maximum momentum habet, nec enim obsessi parare necessaria possunt, & omnia trepidè faciunt. Cato iter quadridui duobus diebus clam perfecit, & oppidum in Hispania firmum occupavit. Nulla ciuitas inopinato obsessa diu vim sustineret, quia necesse est aliquid necessariorum deesse. Nulla tam infirma est, quæ non difficulter vincatur, si fatum suum prævidit, si parauit vires, si obstinavit repugnare. Sic tamen parati, nunquam securi esse possunt.

§. 2. Lucenses sanè à Domitio Caluino nimium facile decepti sunt, cum enim frequenter cum exercitu muros circumiret absque oppugnatione, putarunt id eum exercitationis gratia facere, cumq. non cauerent, subito mœnia occupauit: Semper itaque aliquid Dux agat, quo in errorem eos inducat: & si non credent, varia tamen suspicabuntur.

§. 3. Hannibal Romanorum habitu multos præmittens Latine scientes cepit vrbes. Antiochus sic castellum Suendam in potestatem redegit; frumentatoribus enim occisis milites suos eorum vestibus induit, & cum frumento remisit. Thymarcas Atolus occisi Charmadis chlamyde & galero vsus pro eo in Samiorum portum receptus est. Arcades castellum Messenorum obsidebant, audito ventura alia prædia, arma habitumque similem illis sumserunt, atque ut admissi omnia occuparunt.

Si incenderis aliqua in vicino, ciuesque ad restinguendum effundantur, ea in trepidatione vrbs capi

poterit. Sic Caria vrbe luco & fano Diana incenso Cymon Atheniensis occupauit. Nunc ideò prouisum, ut pars ad incendia pars ad arma concurrat.

Milites alieno habitu vrbi immittere jam olim fuit vsitatum; Epaminondas in Arcadia cū die festo mulieres circa vrbe vagarentur, muliebri veste milites suos immiscuit, qui sub noctem recepti in vrbe, occuparunt portas, suisque aperuerunt.

Capere solent quoque vrbes, militibus negotiatorum habitu mistis. Aristippus Lacedæmonius sic Tegeam occupauit, cum iumenta cum saccis frumentarijs mitteret.

Thebani Sycioniarum portum occuparunt, clausis in naui militib⁹, cum supra tabulata merces essent.

Mainius Diepam cepit per simulatos transfugas. Alanfonius egressum simulans, cum seruatorum quidam crus se fregisse clamaret, equitesque ac pedites subsisterent, regressus pene Antuerpiam occupauit, sed ciuium viribus tandem pulsus excessit. Nimis perere rem tantam aggressus est.

Vrbe per aves domesticas etiam incendunt: de Haddingo narrat Ranzouius libro 4. cap. 2. *Quin Aues incendunt & huiusmodi dolo vrbs capi poterit: Si aues, quæ vrbi obsesse familiares ac domesticae sunt, inque illius domibus nidificent, per aucupes capiantur, & pedibus pennisque istarum fungi igni appendantur, & sic dimittantur. Ista enim ad domorum consueta hospitia reuersa vrbe passim incendunt. Ceterum incendium non solum ingentem vrbi cladem afferet: verum etiam oppidanos coget, ut ad restinguendum ignem vndique accurrentes, Stationes suas pro muris ac portis suis defendendis, relinquunt: quæ propugnatoribus suis destituta tum expugnari poterunt. Hoc artificio Haddingus Grami Regis Danie filius, Dunam vrbe expugnauit. Cum enim ob altissima valla ac mœnia potiri ipsa non posset: diuersi generis aues loci illius domicilis affuerat per aucupios peritos prehendi earumque pennas accensos igne fungos suffigicurauit: quæ nidos suos repetentes incendio vrbe compleuerunt. Huius exstinguendi gratia concurrentibus oppidanis, vacuas defensoribus portas Haddingus expugnauit, adeoque totam vrbe cepit.*

Hæc quæ sine perfidia perjurioque fiunt, utique proditio v. imitari in tempore potest Imperator. At per fraudes, perjurioque grassari impium est, & detestabile. Et eiusmodi tamen plura sunt, quam iusti stratagematis exempla.

Milo Tarentum pactus salutem prodidit, Sofistratus Marcello Syracusas, Tarquinius patri Gabios, Eoneus Hannibali Tarentum, Mandro Pirata Ephesum Lyfimacho, Zopyrus Babylonem Cyro, historia gentiliū habent infinita exempla.

Fame ad deditionem munitissimæ vrbes compulsa sunt, quæ aucta est stratagemate. Fabius tempore sementis à Campania recessit, ut plus frumenti in sationes conferrent, deinde rediens sata contriuit, sic Antigonus quoque Athenienses afflixit. Alii permiscere multos in vrbes obsidendas confugere, ut frumentum citius absumeretur. Sic Alexander Leucadiam cepit.

Dolomalo per speciem pacis Dionysius Rheginos & Himeraeos per famem domuit, pactus enim foedus dataque pace, ut exercitui necessaria ministrarent, exhausto frumento eos ad deditionem coëgit.

Phalaris argutiore nequitia loca quadam munita cepit; nam inita per simulationem pace, cum ad pigrus, & fiduciam amicitiae sua apud eos frumenta collocaret, effecit, ut propria frumenta oppidani absumerent, venderentque; Tyrannus autem data opera tectorum cameras aperiri iusserat, ut suum frumentum corrumperetur; itaq. initio æstatis obsedit, & mox cepit.

Nihil

Inopinata
obsidio fe-
lix.

Semper a-
liquandū ten-
dū est.

Varia bel-
lorū frau-
des.

Incendia e-
licunt ci-
uos.